

DE EPITAPHIO SENECAE

Epitaphium Senecae, anthologiae latinae Rieseii carmen 667:

Cura labor, meritum, sumpti pro munere honores,

Ite alias posthac sollicitate animas.

Me procul a vobis deus evocat. illicet actis

Rebus terrenis, hospita terra, vale.

Corpus, avara, tamen sollemnibus accipe saxis:

Namque animam caelo reddimus, ossa tibi

C. Pascalius, 'Atene e Roma' X (1907) col. 22 s. novissimum tractavit et quidem dignum esse iudicavit tam arte quam ingenio Senecae ipsius. iam vero accommodatissimam rem moribus veterum Senecae imputare Pascalius ultro patet. ut apud Plinium epist. 6, 10 fusius scriptum legimus Verginium Rufum vivum mandasse et cavisse, ut monumento suo Vindex victus versibus inscriberetur. neque desunt inter carmina latina e lapidibus excepta, quae consimile loquendi genus in ipsis sepulcris Romanorum floruisse atque in epitaphio Senecae occurrit, ostendant. ad Carm. epigr. 434, 13 s. anthologiae Buecheleri 'effugi tumidam vitam. spes, forma valete: nil mihi vobiscum est, alios deludite quaeso' Henseus epitaphium Senecae attulit. eandem sententiam cum Carm. 434, 13 s. eisdem prope verbis exprimunt Carm. epigr. 409, 8 s. et 1498. atque his Romanorum carminibus sepulcralibus Graecorum carmina demonstrativa (cf. Anth. Pal. 9, 49. 134. 172) exemplo fuisse O. Jahnius primus monuit. quid igitur? ipsumne Senecam putabimus sumpsisse a Graecis, instaurasse apud Latinos formulam illam sepulcralis carminis, qualem vel his exemplis illustratam, inde ab aetate Alexandrina usque ad Eugenium Toletanum durantem (cf. Mon. Germ. auct. ant. XIV p. 282) novo insuper titulo Thebestaeo gregis eiusdem publici iuris facto A. Grenierus ('Mél. arch. hist.' 25, 1905 p. 72 s.) pluribus persecutus est?

sed examinanda est Pascali sententia epitaphium Senecae ad Senecam auctorem referentis. nam cum de origine epitaphii disserere in animo sit, priores qui de aetate eius iudicium fecerunt refellere in rem est, quo munitiora quae mihi de epigrammate probata sint, evadant. missum autem facile Rossbachium feceris eisdem annis epitaphium tribuentem (cf. De Sen. phil. libr. rec. p. 31, 2) quibus annis primis post Neronis occasum Octavia fabula praetextata composita est; nimirum Rossbachius opinionem protulit, opinionis rationem addere supersedit. nec vero diutius commorandum est in sententia Baehrensi, qui C. Sulpicio Apollinari periocharum Terentianarum scriptori epitaphium impertivit (Poet. lat. min. V p. 386). immo reiectis nugis de sermone Annaeano epigrammatis quaestionem institui par est. cuius singula verba dictiones sententias percurrentem primum offendit consuetudinis Annaeanae memorem v. 3 'ilicet' vox a Seneca poeta vitata¹. et praesertim cum 'ilicet' in ipso capite versus heroici sollemniter collocaverint cum Vergilio (Aen. 2, 424. 7, 583 al.) qui post Vergilium 'ilicet' non gravati sunt poetae Romani vetustiores (cf. Korn-Ehwald ad Ov. met. 15, 396), qualis usus particulae versu epitaphii 3 'me procul a vobis deus evocat: ilicet actis' . . . obviam est, is aegre Annaeanus fertur. at posteriores poetae latini, quippe qui inde a quarto saeculo 'ilicet' frequentent ut Avienus, Claudianus, Paulinus Nolanus, Martianus Capella, Alcimus Avitus, Corippus alii (cf. Langen ad Val. Fl. 2, 186), in quavis sede versus particulam promiscue usurparunt. etiamsi singulis locis praeter limen versus iam apud Vergilium (8, 223) et Valerium Flaccum (4, 451) 'ilicet' inveniri dissimulandum non sit, tamen nemo monitus negabit liberiolem in versu collocationem adverbii posteriore demum aetate increbrescere. Avienus verbi causa quibus locis 'ilicet' dixit Ar. 340 et 1184, iis in medio versu posuit. Paulinus Nolanus ter (carm. 15, 177 p. 59 H. 16, 72 p. 70. 19, 504 p. 135) adverbio usus est, cum semel (15, 177) versu ineunte locaret. apud Claudianum bis aequae atque in epitaphio quinto heroici pede particula inhaeret 1, 211 p. 11 B. et carm. min. 25, 140 p. 307. quorum locorum alterum si evolveris, ut in epitaphio 'evocat' ita

¹ Ut de copia et usu verborum Senecae poetae expeditius iudicium fiat, index plenus verborum tragoediarum mihi praesto est, comparatus sumptibus P. Habruckeri, bibliothecari Regimontani nuper defuncti, ab marita eius benigne mihi oblatus.

'vocat' apud Claudianum 'ilicet' adverbio excipi cum similitudine quadam sententiarum videbis. contra Seneca Oed. 598 pone 'convocat' in iambis 'ilico', orationi pedestri verbum conveniens, adhibuit. atque post illustratum usum epitaphii proprium particulae 'ilicet' Senecam ipsum 'ilico' usurpantem paucis perstringere liceat. qui cum in tragoediis usus sit 'ilico', si in oratione soluta posuerit, mirum non videbitur. verendum igitur est ne epist. 70, 5 'circumspicit numquid illo (sic codd.) desinendum sit' Henseus 'ilico' pro 'illo' a Madvigio scriptum nimia acerbitate improbaverit. quam facile in formas pronominis 'ille' librariorum incuria 'ilico' in codicibus medii aevi abierit, vel Taciti particula saepius usi loco quodam ostenditur hist. 4, 34, 13, ubi ex 'illic' tradito 'ilico' factum editores receperunt. iam vero Senecam 'ilico desinendum' dixisse eo magis persuasum habebis, quia locutio desinendi ilico ipsa etiam Ciceroni (cf. Tusc. 2, 50 'ilico desinit') probatur. casu autem factum esse videtur, ut pluribus locis apud Senecam 'ilico' vox labem pateretur. nempe etiam epist. 95, 2 'adclamatur: recita recita, ab iis qui illum ommutescere illic (sic codd.) cupiunt' vetus est coniectura Erasmi 'ilico' ex 'illic' restituentis. relinquitur ut de apocol. 4, 2 verbum fiat, ubi Lachesis Phoebi iussum quam expeditissime executum esse narratur verbis 'fecit illud plena manu', cum de 'illud' vere relato editores dubitent. quorum Ballius, 'The satire of Sen.' (1902) p. 171 quod peculiarem pronominis 'illud' significatum hoc loco sibi agnoscere videtur, adeundus est Isleibius, diss. Marp. (1906) p. 59 s., a quo perlustrato diligenter Annaeano pronominis 'ille' usu tamen nil lucri ad sustentandum apocol. 4, 2 'illud' abstuleris.

verum redeundum est ad epitaphium, quo praeter 'ilicet' alia verba recentem auctorem produnt. et 'terreni' quidem adiectivum quid valeat in sententia v. 3 s. 'actis rebus terrenis, hospita terra, vale' acrius intueri nunc maxime iuvabit. denotari autem 'res terrenas' a poeta in peius sensu adiectivi 'terreni' deflexo quasi humiles et angustas, v. 1 et 2 ubi sollicitantes animum res humanae carpuntur, diserte probant. atque ea significatione praeditum non invenitur 'terreni' adiectivum in epitaphiis Romanorum nisi in christianis; cf. Carm. epigr. 679, 4. 704, 23 'terrenas . . . labes'. 783, 2 Ven. Fort. carm. 4, 8, 1 p. 84 L. 'terrena . . . cura'. Eug. Tol. carm. 22, 5 p. 249 V. nec vero corpus humanum ut ex terra factum (cf. Carm. epigr. 974, 4 'cinis sum, cinis terra est'. 1532 Bergk poet. lyr. gr. II p. 239

νεκρὸς δὲ κόπρος, γῆ δ' ἢ κόπρος ἐστίν) cum terrenum vocatur, iis locis peculiaris christianus usus adiectivi statuendus est; nempe vel Seneca dixit de corpore ipsius vivi epist. 102, 22 'gravi t̄rrenoque detineor'. quamquam in carminibus sepulcralibus 'terreni' vox etiam de corpore posteriore demum aetate idque maxime apud christianos frequentatur; cf. Carm. epigr. 591, 1. 688, 4. 734, 3. 1366, 3. 1389, 8 Ps. Damas. 92, 7 Carm. cod. Petav. 11, 32 p. 189 P. ceterum quod 'terreni' nomen e regione verborum 'caelestis' sim. iam apud vetustos ponitur (cf. Sen. Herc. f. 601 'quisquis ex alto aspicit terrena'. Hor. carm. 4, 11, 27 Gell. 14, 1, 3), id nihil omnino facit in eum adiectivi usum Senecae ipsi vindicandum, qualis in epitaphio Senecae idemque ubicumque in litteris christianis obuius illustratur synonymis ut Lact. inst. 2, 22, 14 'fragilis' Eug. Tol. carm. 14, 30 s. p. 243 V. 'caducus' aliis. quin vi hac insignis christianorum loquelaē vide ne adeo fuerit 'terreni' vox peculiaris, ut inter ethnicos in epitaphio Agorii Praetextati, hominis Symmacho familiari nobilis, Carm. epigr. 111, 18 s. 'quid nunc honores aut potestates loquar hominumque votis adpetita gaudia? quae tu caduca ac parva semper autumans' . . . de consulto 'terreni' epitheton vitatum esset; certe Eug. Tol. carm. 14, 30 s. et ipse de 'honoribus opibus caducis' locutus non praetermisit, quin insuper 'terrenorum lucrorum' mentionem iniceret.

unius igitur in vocis significatione christianum elogii Annaeani scriptorem deprehenderis. mirum autem deinceps accidisse videtur, ut totius enuntiati cuiusdam christianus color in epitaphio Senecae occurrentis eos qui adhuc in epitaphio versati sunt, fugeret v. 3 'me procul a vobis deus evocat'. Pascalius quidem ('Atene e Roma' 1907 col. 23) satis habuit sententiae illi super deo scriptae in sedes caelestes hominem vocante, quam vere Annaeanam probaret, Senecae dial. 7, 15, 5 'sapiens habebit in animo vetus praeceptum: deum sequere'. epist. 107, 12, talia, tamque similiores cogitationes addere. attamen quas opiniones de morte sapientis et de deorum arbitrio in excessu sapientis exercito Seneca litteris mandaverit, quoniam rem absoluerunt I. Pitius ('La mort et la vie future dans Sénèque' 1884) W. Ribbeckius ('Seneca . . . und sein Verhältniss zu dem Christenthum' 1887) alii, fusius dicere minus necesse est. cum in morte patere sapienti ad deos suos iter (epist. 93, 10), in morte sapientem ipsum se dis reddere (102, 22), similia, aliquotiens Seneca iactaverit, tamen merito factum est, ut nusquam de deo ad

mortem evocante sapientem, philosophus, sui interemptor qui de vita decessit, loqueretur. satius igitur putaveris quaerere, qua tandem aetate in carminibus sepulcralibus latinis deus coeptus sit dici hominum animas ad superiores evocare. ipsum autem 'evocandi' verbum eodem sensu quo in epitaphio Senecae usurpatum non contigit invenire in aliis epitaphiis latinis nisi in uno Carm. epigr. 1277, 1 'functus honorato senio plenusque dierum evocor ad superiores'. atque hoc carmen in epitaphio Annaeano elaborantem vel eo magnopere debet delectare, quia remedium mortis in eo adhibitum v. 3 'reddere depositum lex est' Senecae rem. fort. 2 'gentium lex est quod acceperis reddere' sapit. tamen ad aetatem et indolem epitaphii Senecae definiendas ex epigrammate illo desperandum est lucem peti posse, utpote quod carmen tria disticha complexum ex parte maiore adulteratum esse suspicio sit. ne testimonio infirmo, ambiguo innitatur indagantes ubinam apud veteres deus dicatur defunctos evocare, Carm. epigr. 1277 diligentius inspecto, abstinendum ab eo esse iudicaveris. quod si adeo sit exiguus usus verbi 'evocandi' in carminibus sepulcralibus, de dictione 'me . . . deus evocat' epitaphii Annaeani monere sufficiet communi sermonis vetusti consuetudine mortuos evocari dici, cum animae ex Orco citentur (cf. Norden ad Verg. Aen. 6, 749. Sen. Med. 705. 754 Oed. 393 Anth. lat. 406 R.); qua autem significatione 'evocat' in epitaphio Senecae, 'evocor' Carm. epigr. 1277, 2 usurpentur, eam verbi 'evocandi' significationem elogiis funebribus latinis non illustrari nisi christianis talibus: Ennod. carm. 2, 95, 6 p. 172 V. 'hic reddens tumulis cineres ad celsa vocatus spiritus'. Carm. epigr. 662, 8 'ad alta vocaris'. 712, 1 'caelesti sorte vocatus'. 718, 7 'dominus vocavit'. 790, 2 'quem dominus vocans'. 1365, 3 s. 'famulam tu, Christe, tuam . . . ad tua regna vocas' (cf. etiam Paul. Nol. carm. 31, 190 p. 314 H. Anth. Pal. 8, 47. 69). eo verbi 'vocandi' usu christiano respecto origo dictionis qualis est 'me deus evocat' apparet. ceterum quae quidem sententia locutionibus illis christianis subsit, hanc etiam in carminibus sepulcralibus philosopho quodam colore fucatis veterum obviam fieri ultro fatendum est. verum poetae philosophi de reditu animarum in caelum (quem inter latinos Manilius 4, 887 cecinit praeter ceteros) diversas dictiones adhibuerunt atque epitaphistae christiani; cf. Carm. epigr. 611, 4 'mundus me sumpsit et astra'. 1061, 11 s. 1108, 2. 1109. 27 'me . . . Venus . . . in caeli lucida templa tulit'. 1206, 5 'animam sacer abstulit aër'. 1339, 3. 1535 A 8. ibid. B. 1 'aurae etulere

parvolum'. 1559, 13 Anth. lat. 345, 13 R. quamquam de obitu 'vocandi' verbo adscito vulgo antiqui dixerant talia 'καλέει μ' εἰς Ἀΐδην Θάνατος' (Anth. Pal. 7, 731, 2), 'mors vocet' (Sen. Ag. 591), 'fata vocassent' (Carm. epigr. 391, 3)¹.

post excultam poesin christianam epitaphium Senecae factum esse sermonis proprietates in altero disticho epigrammatis occurrentes indicant. priusquam vero ad tertii distichi epigramma claudentis res et verba sub examen vocanda transitus fiat, etiam nunc de 'hospita terra', locutione alterius distichi pauca adnotari debent. quae locutio quamvis necessario ne ab ipso quidem Seneca abiudicanda sit, tamen eandem convenire vel infimae aetatis poetis ostendere in animo est. eo autem sensu 'hospita terra' in epitaphio appellatur, quo sensu 'hospitalem locum' plane eadem imagine usus Seneca dixit in sententia epist. 102, 24 'quidquid circa te iacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta; transeundum est'. quominus appellationem 'hospitae terrae' ipsam quoque certo demonstrare putemus recenti aetate epitaphium Senecae confectum esse, usus effusus impedit 'hospitii' vocis eiusdemque stirpis vocum translatus, quo etiam Senecae temporibus res huius vitae apud Latinos significantur. veluti Seneca ipse, praeter quod 'hospitalem locum' terram dixit, 'hospitium' corpus humanum vocavit Graecos philosophos secutus epist. 120, 14 'nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, et quidem breve hospitium, quod relinquendum est, ubi te gravem esse hospiti videas'. atque huic de corpore humano dogmati apud Senecam obvio similes sententiae in carminibus sepulcralibus inveniuntur iam inde ab aetate Ciceronis, cf. Carm. epigr. 57, 4. 91, 1. 998, 4. nec non in carmine quodam sepulcrali Neroniani aevi 'hospitii' voce aedes translate appellantur Carm. epigr. 1488, 1 s. 'aedis aedificat dives, sapiens monumentum. hospitium est illud corporis hic domus est'. quae philosopha aedium significatio per imaginem 'hospitii' facta sepulcri vocabulo quod est 'aeterna domus' respondet, in multis et ex parte quidem vetustis titulis reperto, Carm. epigr. 57, 3. 59, 19. 72, 3. 88, 1. 96, 3. 1055, 9. 1190, 6. 1552 A 67. ceterum e contrario ut sepulcrum 'hospitium' dicatur, id quoque accidit in carminibus sepulcralibus Romanorum, neque ullius aevi homines magis decebat pro sepulcro 'hospitii' nomen ponere, quod

¹ Quae rata sunt de locutionibus poetarum christianorum et ethnicorum spectantibus ad animas in caelum redeuntes, vim habent ad supplenda Carm. epigr. 1198, 15 s. '[care, Verecundum quem ob mores labe] vocarunt immunes'. alia.

posuerunt etiam vetusti (cf. Carm. epigr. 89, 4. 242. 460, 5. 1274, 4. 1249, 6. 1559, 4), quam cum ex sepulcris patefactis brevi carnis resurrectionem futuram esse sperabant christiani (cf. Carm. epigr. 302, 11. 788, 2. 789, 3. 1427, 6); qua de resurrectione plurimus est inter poetas christianos Prudentius, cf. cath. 10, 149 s. p. 64 D. apoth. 1063 s. p. 126. iam vero, siquidem pro antiqua sepulcri significatione, quae est 'aeterna domus', accepta est in recenti christianorum sermone 'hospitii' significatio, vel ex hoc ipso intellegitur epitaphii Annaeani locutionem 'hospitae terrae' etiam posterioris aevi carminibus sepulcralibus sanequam convenire. praecipue autem id ipsum adiectivum, cuius forma in epitaphio est 'hospita', utpote a Seneca vitatum, a poetis christianis cum licentia adhibitum suadet, ut etiam in verbis 'hospita terra' recentem epitaphii auctorem agnoscamus. Venantius quidem Fortunatus in Servilioni presbyteri epitaphio dictione 'hospitae lucis' eadem ratione usus est, qua in Senecae epitaphio 'hospita terra' legitur, *carm. 4, 13, 1 p. 88 L. 'brevis hic et hospita (inhospita: cod. L) lux est'. atque adeo Fortunato, poetae christiano notionem illam 'hospitae terrae' obversatam esse concedes, cum idem in Basili epitaphio *carm. 4, 18, 26 p. 91* amicum mortuum 'patriam caeli' tenere dixerit. deinde quantum adamarint adiectivum 'hospiti' poetae recentes, Prudentius testis est sententiam veterem de corpore humano 'hospitio' animi professus talibus *cath. 10, 31 p. 60 D. 'animus . . . vehit hospita viscera secum'. postremo etiam alia pauca exempla adiectivi 'hospiti' in poesi recenti latinorum vario usu adhibiti promere licebit: Claud. 9, 2 p. 125 B. 'hospita terra'. Merob. poet. 86 p. 14 V. Carm. cod. Petav. 2, 2 p. 183 P. Drac. laud. dei 2, 296 p. 76 V. Ennod. *carm. 2, 56, 9 p. 157 V. 2, 76, 1 p. 162 Eug. Tol. 46, 4 p. 259 V.***

tertium distichon epitaphii Annaeani 'Corpus, avara, tamen sollemnibus accipe saxis: Namque animam caelo reddimus, ossa tibi', quo Terrae appellatio inchoata in altero disticho continuatur, plus valet ad aetatem et originem epigrammatis enucleandas quam alterum distichon. nimirum christiani aevi carmen epitaphium Senecae esse statuere parum est; artioribus terminis auctorem eius circumscribere conandum erit. videtur autem ex verbis 'corpus, avara, . . . sollemnibus accipe saxis' intellegi posse, qualem cogitationem funeris quo Seneca elatus esset, monumenti in quo ossa eius recubarent, epitaphii Annaeani scriptor animo foverit; inde vide ne de tempore scriptoris quid lucis capiatur. praesertim cum de eo quod reapse fuerit, Senecae funere aliquo

modo certiores facti simus Taciti testimonio ann. 15, 64 'exanimatus sine ullo funeris sollemni crematur. ita codicillis præscripserat', 'sollemnia saxa' sepulcri Annaeani quid sibi velit celebrata in epitaphio ipsum Senecam auctorem præ se ferente scire iucundum est. quemadmodum autem crematum esse corpus Senecæ Tacitus memoriae prodidit, sic de urna in busto vel potius in monumento aliquo condenda (cf. Marquardt-Mau, Ant. Rom. priv. I p. 380 s.) num apte dicantur verba 'corpus, avara, . . . sollemnibus accipe saxis' proximum est ut expediatur. modo ut id quod revera fuit Senecæ sepulcrum, ante oculos habuerit epitaphii scriptor, primum arguendus est cineres Senecæ in urna cinerariove conditos significasse insolenter nomine 'corporis'. nempe eadem licentia ut in epitaphio pro inscriptione veri sepulcri habito Senecæ etiam in aliis epitaphiis latinis pro cinere translate 'corporis' nomen poni concedi nequit. noli vero audaciorem usum vocabuli 'corporis' reliquias combusti hominis significantis in carminibus sepulcralibus latinis obvium esse inconsulte credere locis talibus in medium productis qualis est Carm. epigr. 403, 8 'et cinis in tumulo iacet et sine nomine corpus'. ubi Vergilianus flosculus Aen. 2, 557 s. 'iacet . . . et sine nomine corpus' orationi epigrammatis intexitur, licentia verbi ea ipsa re affatim excusata. atque omnino id quidem libenter fatebimur non tam per translationem quam per imaginem varia ratione cum alias res utcumque ad corpus defuncti spectantes ut flores sepulcri (cf. Carm. epigr. 391, 5. 1184, 18 'hoc flos est corpus Flaviae Nicopolis'), tum præcipue reliquias combustorum nomine 'corporis' in sermone poetico hic illic vocari; cf. Prop. 3, 18, 32 'corpus inane'. Carm. epigr. 1049, 2, talia. sed licentior iste usus vocabuli 'corporis' etiam pro cineribus positi ut aegre probetur extra imaginem qualicumque ratione indicatam, loci commovent in poesi sepulcrali Romanorum occurrentes haut pauci, quibus diserte opponuntur cineres vel ossa mortuorum corporibus eorum; cf. Carm. epigr. 67, 5 'ossa dedi Terrae, corpus Volchano dedi'. 405, 1 s. 'corpus . . . arsit et in cineres iacet hic [versum] adque favilla'. 590, 2. 1168, 5 s. 1206, 5. 1222, 4 'cinis est corpus quod fuit ante meum'. (cf. etiam Kaibel, Epigr. Gr. 432, 4 al.). iam vero de latiore usu vocabuli 'corporis' in epitaphiis latinis obvio postquam quaestio instituta, expedita est, facilius iudicaveris dictionem 'corpus, avara, . . . sollemnibus accipe saxis' elogii Annaeani male congruere cum Tacito crematum esse corpus Senecæ referente. immo vel hoc nomen 'corporis' in sententiâ tali atque in epitaphio

Senecae usurpatum satis certum indicat humatum esse corpus / Senecae sumpsisse epitaphii auctorem negligentiae insigni obnoxium. quae interpretatio verborum 'corpus, avara, . . . sollemnibus accipe saxis' egregie iis firmatur, quae de ipsis 'sollemnibus saxis' epitaphii Annaeani statim dicenda sunt; nimirum iis terra 'avara' (cf. Sen. Herc. f. 782 'avari Ditis'. Carm. epigr. 1034, 3) corpus Senecae accipere iubetur. significari autem ablativis illis qui sunt 'sollemnibus saxis', in terra locum certum, ubi corpus Senecae condatur, veri simile fit e structura verbi 'accipiendi' utpote consuetudine trita iuncti cum ablativo loci inde a temporibus poetarum neotericorum (cf. Hey, Thes. ling. lat. I 311, 43 s.); et apponitur quidem in simili sententia atque in Senecae epitaphio verbo accipiendi ablativus loci etiam apud Silium 11, 384 'accepti tellus ossa inviolata sepulcro'. (cf. etiam Prud. cath. 10, 125 s. p. 63 D. 'nunc suscipe, terra, fovendum gremioque hunc concipe molli'. Carm. cod. Petav. 13, 1 p. 190 P. Carm. epigr. 1477 'suscipe, terra, . . . corpus'). nec non Carm. epigr. 1066, 1 s. 'immatura sinu telluris levis accipe Grati ossa et legitimo more sepulta fove' comparari debet cum Senecae epitaphio propter rem et verba singula. quamquam in hoc carmine epigraphico intellegitur sinus telluris locus columbarii; quocirca id carmen nil facit in epitaphium Senecae interpretandum tamquam panctum de corpore humato. cave autem ne te praetereat inter loquelam elogii Annaeani et Carm. epigr. 1066 quod intercedit discrimen. mehercule non, si urna in columbario condita facete significata est imagine telluris quasi sinu suo ossa defuncti accipientis (qua de imagine cf. Anth. Pal. 7, 321, 1 γαῖα φίλη τὸν πρέσβυν . . . ἔνθεο κόλποις. 368, 5 s. χαίροις . . . χθών με . . . κόλποις . . . δεξαμένη. 476, 9 Kaibel, Epigr. Gr. 56, 1. 214, 7. 237, 3. al.), idcirco ad funus combusti hominis pari modo referre fas erit dictionem corporis sollemnibus saxis a terra accepti. certe priusquam locutionem 'sollemnium saxorum' de urna vel loculo columbarii probe dici concedatur, curiose videndum erit, ubinam in Romanorum sepulcris versibus descriptis 'saxorum' nomen aut saltem nomen simile quid et ea quidem nomina exornata epithetis talibus quale sit adiectivum 'sollemnis' inveniantur. praeter cippum autem et tabulam in titulis sepulcralibus latinis antiquitus vocabulo 'saxi' appellata (cf. Epitaph. Pacuv. Gell. 1, 24, 4 Carm. epigr. 611, 5. 848, 1. 1278, 5 alia) aevo imperatorio praesertim 'sarcophagus', similia, audiunt 'saxa' vel etiam 'lapides', 'marmora'; cf. Carm. epigr. 456, 5. 477, 3. 516, 7 s. 565, 3. 637, 5. 1523 2. 1580, 6 alia. atque

in sarcophagis describendis laudibus etiam tolluntur apud Venetos Carm. epigr. 640, 9 'pulera de marmore sedes', apud Hispanos inferiore aetate vel infima Carm. epigr. 1397, 1 Eug. Tol. carm. 29, 5 p. 253 V. 'pretiosa marmora', ita ut ipsa sollemnia saxa epitaphii Annaeani obiter in mentem veniant. ceterum id in transitu affirmandum 'sollemnis' adiectivum in epitaphio Annaeano saxorum nomini attributum non recte intellegi nisi dictum de pretio, ornatu, qualitativis eiusmodi sepulcri saxei; at qualia de sepulcro 'sollemnibus donis' colendo legantur (Carm. epigr. 568, 5, itemque alia in titulis sepulcralibus de funere legitime observando defunctorum (cf. Carm. epigr. 106, 2. 310, 3. 701, 4. 1066, 2), ea a sensu sollemnium saxorum laudatorum in epitaphio Annaeano remotiora esse. nec non etiam id in transitu moneri debet, quantum discrepent a Seneca ipso, philosopho stoico despectante sollemne funus, quin potius omne funus (cf. dial. 9, 14, 3 rem. fort. 5, 3 s. epist. 92, 34) verba 'corpus . . . sollemnibus accipe saxis' epitaphii Annaeani; quae verba a genuina Senecae cogitatione utique abhorrent, sive ad ornatum sepulcri splendidum probavisti spectare sollemnium saxorum significationem, sive ad funus de more factum haec verba referuntur. nec vero attinet in argumento quo nihil nisi subditivum esse epitaphium Senecae firmetur, versari diutius. redeundum est ad eam quaestionem, quae de Romanorum sumptu in sepulcris saxeis facto, versibus celebrato, eo animo modo instituebatur, ut certius definiretur, quibusnam 'sollemnibus saxis' corpus Senecae accipere terra iuberetur in epitaphio spurio. cum pretioso sarcophagorum marmore epitaphistis recentibus rem esse supra explorabatur. vetusta autem aetate monumenta pulchris saxis exstructa in carminibus sepulcralibus latinis saepius tractantur; cf. Carm. epigr. 58, 5 s. 'monumentum indiciosum saxo saeptum ac marmoribus circum stipatum moerum multeis millibus'. 1170, 2. 1246, 3 s. 1552 A 42 s. 'sic stare nitentes consensus lapidum'. ibid. B 8 'iunctis saxa polita locis'. et facile aliquis concesserit pro monumento splendido et sumptuoso dictionem talem qualis sit 'sollemnium saxorum' haut inficete per synecdochen poni. sed ut in epitaphio Senecae terra tamquam gremio suo corpus Senecae accipere iubetur, ita, si modo monumentum intellegitur sub sollemnibus saxis epitaphii Annaeani, certe nil nisi hypogaeum vel crypta intellegi sobrie potest. cum vero in vetustiore poesi sepulcrali latina conditoria subterranea versibus elata frustra quaerantur, apud christianos cryptae artificiiis et saxis nobiles

carminibus funebribus saepius extolluntur; cf. e. g. Ps. Damas. epigr. 82, 2 s. 83, 1 s. Prud. perist. 11, 153 s. p. 448 D. *ibid.* 187 s. ex quo Damasus papa epigrammata in laudes hominum sanctorum marmoribus incidenda curavit (cf. Ihm, Damas. epigr. praef. p. VII), etiam sepulcorum marmoreorum splendorem poetae christiani sedulo canebant. atque inter varia sepulcra subterranea a poetis christianis celebrata eorum memoriam refoveri nunc maxime conducit, quae fossis constant vestitis tectisque marmoribus pretiosis; de quibus sepulcris cf. Prud. perist. 3, 194 s. p. 339 D. 'reliquias . . . servat humus veneranda sinu. tecta corusca super rutilant de laquearibus aureolis saxaque caesa solum variant'. cath. 10, 53 p. 61. *ibid.* 171 p. 65 Paul. Nol. carm. 21, 586 s. p. 177 H. *ibid.* 624 s. 'depressam sub tegmine marmoris arcam'. epist. 32, 17 p. 292, 21 s. Ps. Damas. epigr. 79, 10 'marmore concludens arcam'. Carm. epigr. 712, 21 s. 'tumuli pretiosa tegmina firmans praestruxit solida e crustato marmore fulchra'. 721, 1 (in Cordubensi regione. sepulcri tegumentum marmoreum grande) 'haec cava saxa . . . continet membra'. 1622, 6 (Cordubae) 'sum tecta hic saxea cava'. nimirum arca depressa in fossam fultam tectamque saxis lectis liquido significatur versu illo Terram appellante, qui in Senecae epitaphio est: 'corpus, avara, tamen sollemnibus accipe saxis'.

quo colore christianorum sepulcra hominum sanctorum a Prudentio, Paulino Nolano aliisque eius aetatis poetis laudantur, tali colore propemodum etiam de Seneca condito in epitaphio eius verba fiunt. atque antiquiori aevo quam illi, quo etiam hexasticha luserunt de Ciceronis titulo duodecim sapientes (cf. Anth. lat. R. 603 s. 607), aegerrime quispiam versus de Senecae titulo addiderit. persuasum habemus ipsa sepulcra sollemnia Romanorum, carminibus descripta, cum epitaphio Senecae comparata, momentum haut exiguum habere ad definiendum, quibus saeculis primis tribuendum sit epigramma demonstrativum in Senecam mortuum factum. contra maiore cum periculo verendum est ne in eum temporis terminum inquiratur, pone quem ortum esse epitaphium Senecae rursus denegandum sit. neque enim incorrupta prosodia aut elegiaci numeri eleganter structi, quibus excellit epitaphium Senecae, ne ab infimae quidem aetatis musa Romana alienum esse hexastichon de titulo Senecae certum probant. etenim ipsa infima aetas Ennodios tulit et epitaphia Ennodianis similia corruentis artis vestigia nulla prodentia; cf. e. g. Ennod. carm. 2, 6 p. 324 V. Carm. epigr. 1367. 1412.

praesertim vero ideo debet fluctuare iudicium de aetate epitaphii Annaeani inter saecula plura, quia tralaticiiis flosculis epigramma consutum est. et primum quidem distichon epigrammatis ubi recurrat quamvis variatum in aliis epigrammatis latinis graecisque initio huius quaestionis adnotatum est. tamen quae carmina illic (p. 392) ut ab aliis congesta in medium proposita habes similia primo disticho epitaphii Annaeani, iis addere libet titulum a Kaibelio conlatum cum epitaphio Senecae Epigr. Gr. 647, 1 s. (praef. p. XV), itemque alia pauca Romanorum epigrammata, ubi similiter atque in epitaphio Senecae curae, laboris honorumque finis mors praedicatur Carm. epigr. 1095, 5. 1340, 1 s. 1362, 11. 1533, 5. 1829, 1 s. quemadmodum autem absoluto disticho primo epitaphii Annaeani quasi formula quaedam perfecta carminum sepulcralium antiquorum et ipsa absolvitur, sic alterum distichon, in evocata anima Senecae versatum, vide modo ne verbis 'me procul a vobis deus evocat' satis languide conglutinatum sit cum rebus humanis calcatis dicticho priore. quamquam 'procul' adverbium quod in enuntiato 'me . . . evocat' i. q. 'in longinquum' valeat simulque copuletur cum verbis 'a vobis', id nemo sane gravabitur; quippe simili usu adhibuerunt 'procul' scriptores et poetae latini tam recentes quam vetusti, cf. e. g. Sen. Phaedr. 704 'procul . . . corpore a casto amove tactus'. Paul Nol. carm. 31, 532 p. 326 H. 'procul a nobis mortis odor fugiat'. attamen haut scio an vere sentiat qui consecratus originem verborum 'procul a vobis' sententiae 'me . . . deus evocat' durius insertorum referenda ea verba esse dixerit ad locutiones in aliis exemplaribus obvias veteris illius primarii carminis funebris, quo etiam epitaphii Annaeani distichon primum continetur, ad Carm. epigr. 409, 9 'nil . . . in me vobis licebit'. 434, 14 (1498, 2 al.) 'nil mihi vobiscum est'. Ps. Eug. Tol. carm. 51, 4 p. 282 V. 'vos ite'. (cf. etiam Anth. Pal. 9, 49, 2 οὐδὲν ἐμὸν ἔ' ὑμῖν. 134, 2 οὐκέρτι γὰρ σφετέροις ἐπιτέρπομαι). sed hactenus de antiquiore carmine intexto epitaphii Annaeani distichis primo et alteri. sequitur ut etiam alium flosculum distichi alterius 'actis rebus terrenis' facile repeti posse e communi sermone carminum antiquorum probetur conlatis Carm. epigr. 362, 2 'aevo exacto vitae'. 394, 1 'peracto tempore vitae'. 695, 1 s. 'iustis . . . cursibus annos egit'. 1366, 3 'exacto vitae . . . cursu'. Carm. cod. Petav. 9, 1 p. 187 P. 'transactis cursibus aevi'. Ps. Damas. 103, 7. — denique tralaticiiis e locutionibus epitaphium Senecae recenti aetate compositum esse dilucide perspicitur pentametro illo qui

hexastichon claudit 'namque animam caelo reddimus, ossa tibi'. nempe scatent epitaphia antiqua versibus eiusmodi, quibus defunctorum corpus animae opponitur, terra conditum caelesti. et occurrunt quidem versus tales iam inde a vetustissima aetate vel ante Platonem in epitaphiis Atticis, iidemque versus inveniuntur etiam p. Chr. n. saeculo sexto apud Graecos, cf. e. g. Kaibel, Epigr. Gr. 21, 5 αἰθήρ μὲμψυχὰς ὑπέδέξατο, κώ[ματα δὲ χθών. 150, 8 αἰθέρι δούς ψυχ]ήν, κῶμα δὲ Κεκροπή. 159, 2. 642, 7 τὴν ψυχὴν ἀπέδωκεν ἐς ἀέρα, κῶμα δὲ πρὸς γῆν. 646 a 3 (p. 529) ψυχὴ μὲν πρὸς Ὀλυμπον ἀνήλλατο, κῶμα δὲ πρὸς γῆν. 1063, 3 κῶμα γὰρ ἐν γαίῃ, ψυχὴ δ' εἰς οὐρανὸν εὐρύν. inter latina autem carmina sepulcralia laudes immortalis animae cum commemoratione corporis intereuntis locutione una iungentia ea quidem praecipue accipe quae versum epitaphii Annaeani similitudine insigni attingant: Carm. cod. Petav. 17, 3 p. 192 P. 'ut caelo reddens animam, sic membra sepulchro'. Eug. Tol. 21, 22 p. 248 V. 'mox animam caelo, membra dedit tumulo'. Anth. lat. R. 661,4 'dant animas caelo, dant sua membra solo'. Carm. epigr. 692, 3 (a. 476) 'membra solo posuit, celi perexit ad astra'. 755, 1 'corpus humo, animam Christo, Petroni, dedisti'. 778, 6. 1354, 4 'ista iacent tumulo, gaudet at illa polo'. 1362, 5 (a. 501) 'astra fovent animam, corpus natura recepit'. 1366, 4 (a. 512) 'terrenum tumulo dans, animam superis'. 1392, 3 (a. 641) 'spiritus astra petit, corpus in urna iacet'. 1394, 22 (a. 689) 'corpore nam tumulum, mente superna tenet'. 1420, 2 'astra tenent animam, caetera tellus habet'. 1433, 4 'bustus membra tenet, mens caeli pergit in astra'. 1561, 9 (a. 474) 'mente petens Christum membra recondit humo'. Ven. Fort. carm. 4, 5, 6 p. 82 L. 'membra sepulchra tegunt, spiritus astra colit'. 4, 12, 8 p. 88 'corpore qui terras et tenet astra fide'. 4, 14, 6 p. 89 'carne tenet tumulum, spiritus igne polum'. 4, 27, 5 s. p. 99 'terrae terra redit, sed spiritus astra recepit: pars iacet haec tumulo, pars tenet illa polum'. neque inter tot Romanorum carmina sepulcralia simili genere dicendi usa cum epitaphio Senecae ullum invenitur, quin recentissima aetate scriptum sit ab auctore christiano. iam vero in id insistendum est: etenim quantumvis locutio illa quae versu ultimo epitaphii Annaeani deprehenditur, in fati animae caelestis corporisque terreni versata, per saecula duraverit, aequae obvia temporibus praescis in carminibus sepulcralibus Atticorum aureis atque in Romanorum epitaphiis infimi aevi christianis et saecis, tamen ipsa saecula cursu suo quodam modo mutaverunt faciem

locutionis. inde fit ut etiam ultimo versu epitaphii Annaeani comparato cum similibus locis carminum veterum aetas et origo epitaphii Annaeani illustrentur. neque inutile videtur locis qui modo proponebantur ex antiquis epitaphiis excerpti, similes versui extremo epitaphii Annaeani, alios locos eandem rem diversis flosculis tractantes opponere quam plurimos in poesi sepulchrali antiqua occurrentes; ea enim ratione, ad quae tempora spectet versus illè ultimus epitaphii Senecae maxime intellegitur; igitur cf. Carm. epigr. 611, 4 s. 655, 1 s. 'h[abet eius] celum animum, acta orbis; pars ergo mi[nor manet istic]'. 1061, 10 s. 1062. 1190, 5 s. 1206, 5 'corpus habent cineres, animam sacer abstulit aer'. 1207, 1. 1254, 8. 1311, 5 s. 'quin potius corpus: nam mens aeterna profecto pro meritis potitur sedibus Elysiis'. 1339, 3 'vita subit caelum, corpus tellure tenetur'. 1444, 3 s. 1559, 3 s. 'anima caelo reddita est. parato hospitium'. Anth. lat. R. 610, 6 'ingenium vivit; corpus inane perit'. 722, 3 'mens videt astra, quies tumuli complectitur artus'. 787, 4 'sanguis apud manes, spiritus ante deos'. Anth. Pal. 7, 61, 1 s. γαῖα μὲν ἐν κόλποις κρύπτει τόδε σῶμα Πλάτωνος, ψυχὴ δ' ἀθάνατον τάξιν ἔχει μακάρων. 7, 62, 3 s. 7, 87, 1 s. 7, 337, 7 s. 7, 341, 3 s. 7, 362, 3 ἦλυθε δ' εἰς Ἄϊδαο δέμας, ψυχὴ δ' ἐς Ὀλυμπον. 7, 363, 2-s. 7, 680, 3. 7, 689, 1 s. 8, 33, 1 s. Kaibel, Epigr. Gr. 35, 5 s. 41, 1 s. 90, 1 s. 104, 5 s. 156, 1 s. 175, 3 s. 225, 1 s. 243, 18 s. 250, 5 s. 261, 7 s. 288, 4 s. 315, 1 s. 422, 2 s. 425, 1 s. 462, 5 s. ibid. 12 s. 516, 1 s. 522, 12 s. (cf. etiam ind. Kaib. p. 680).

Gryphiswaldiae.

Ernestus Bickel.